



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Epistola Prima Ad Matrem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

42. Summa miseria abundare conceptibus, egere affectibus; divitem esse veritatum, egenum virtutum.

43. Homule, dispone domi tuæ; cras fortè morieris.

44. Simulacrum divinitatis est, facere bonum sine turbatione; cum amore, sine quæstu; cum magnanimitate, sine præsumptione.

45. Villice iniquitatis, vide, quid agas; cras fortè reddes rationem villicationis tuæ.

*EPISTOLÆ QUÆDAM
P. LVDOVICI AD
DIVERSOS.*

*EPISTOLA PRIMA AD
MATREM.*

*HORTATUR AD PATIENTIAM
MORBORVM.*

QUAS proximè ad te scripsi, Domina, cæ valerudinem meam nunciabant, quâ tunc ute-

bar commoda: Neque modò utor
dissimili, nisi quòd infestus ille hu-
mor, velut ex insidijs mecum agat,
neque cogitantem subinde ag-
grediens, fiat eò mihi molestior,
quòd non contentus pedes tor-
quere & brachia, aliquandiu ocu-
los etiam, & ossa faciei sic affligerit,
ut gravioris mali periculū putem
non deesse, si pergat porrò sævire.
Sed quemadmodum hæc omnia
benignissima Dei nostri, & sapien-
tissima volūtate sic ordinata sunt,
quasi totidē salutis meæ, & divinæ
audis suæ instrumenta; ità lubens
amplector omnia, mente pro eo,
ac par est, gratissimâ, quòd aliquam
mei memoriã habere, & ex Calice
suo, quantum vis pro mearum vi-
tium tenuitate, parùm, non tamen
omnino nihil, propinare dignetur.
Atque utinam haurire liceret li-
beralius, si ita salutis meæ, & ad di-
vinæ gloriæ majus incrementum
DD 4 expe-

expediat! Neque enim intelligo, quid jucundius, pleniusque solati accidere possit homini, qui se Deo unicè devotum cupit, quàm exhaustare integerrimè divinæ voluntatis imperia, eaque inprimis, quæ delicato carnis sensui molestæ sunt.

II.

Equidem, si licet explicare, quod sentio, non rarò felicitatem illius suam invideo, quibus pro Deo, & ex imperio DEI pati contigit, memor illius, quod querenti de calamitatibus suis alicui Servator noster objecit: *Si pati non esset melius, non id elegissem pro me.* Et sanè quis non illis invidet, qui cum boni sint, affliguntur tamen, quando ærumnæ, quibus cruciantur, totidem sunt ad coelum aditus, divini amoris pignora, insignia filiorum DEI, arrhæ animarum, quas ad felicissimas cum Agno nuptias eligunt.

ntelligo, &c. Si JESVM Servatorem meū
ne solatiū, continuam miseriarum,
ni se Deo, Seriem, cœptam cum vitæ exordio,
uam ex, non nisi cum vita finire video. San-
æ volun, tissimam eius Matrem, mare
mis, que, quoddam amaritudinum, & trans-
molestia, fixam doloris gladio memini. Apo-
stolos quod genus calamitatum,
are, quod non exercuit? Et quæ Martyribus
rem illis, vitam abruperunt ærumnæ? cum
DEO, & ijs Confessores, quamdiu vita te-
igit, me, idem fuit Sanctis vivere & pati;
de cala, neque alio ad felicitatem tramite
ator no, concessum est pergere, quàm illo,
et melius, quem inamæna dolorum exaspe-
sanè quis, rant. Quem non iuvat igitur, ijs
am boni, tantisper miseriarū beneficio fieri
quando, similem, quos veneratur, adorat,
ur, totis, ter felices, tēque beatos prædicat?
is, divini, Quem non sancta quædam tangat
liorum, æmulatio, si, quos oblitos videt
as ad fe, omni ærumnarum genere, eosdem
rias ele, idcirco pignus habere certissimum
gii,

DD S æter-

æternæ felicitatis intelligit?

III.

Hæc ferè sensa sunt, quibus, largiente Deo, non dolores tantum meos utcunque sopio, sed illum etiam marorem satîs idoneè temperavi, quem concipere ex doloribus & ægritudinum tuarum tristissima narratione potui, quibus affligite, vel si placet rectiùs loqui, honorari à divina Majestate intelligo. Compator, ut filium decet, maternis doloribus; at enim, neque id infelicior, gratum mihi accidere, quòd Deus illam diligat ut filiam, quam ego honoro ut matrem: & quam immortalibus aliquando bonis ornata[m] visurum me spero in patria, sicut eandem colluctantem modò cum morbis, & doloribus, intuentem cogor in exilio. Et proinde plus ad erigendum animum spes tantorum bonorum valet, quàm sensus corporalis mali possit ad deiciendum.

Mali

Mali, inquam, tantilli: Esto enim acerba sint, & gravia, quæ patimur, tantilla tamen sunt, si cum bonorum, quæ speramus, & quæ DEUS etiam hac in vita largiri solet rectè patientibus, magnitudine comparentur.

IV.

Quapropter tu te ipsam solare, suavissimâ DEI nostri memoriâ, mentem identidem erigens, qui si dolorum intemperie oculos eriperit corpori, novos huiusce jacturæ beneficio menti aperiet; & si sensus ille, quo res has caducas, & aspectabiles intuemur, obscurabitur, serenabitur hac eclipsi animus, ad increatæ lucis usum, & earum rerum aspectum, quæ illustriores sunt, quàm ut mortalibus oculis possint aspici. Sed neque suos etiam corpus perdet oculos, quos, in communi hominum anastasi, serenissimos aliquando recipiet.

Totam

Totam ergo benignissimi Patris nostri te permittite manibus; ratum, quidquid circa te decreverit, habere offer promptum, si quas immittere placuerit, ærumnis animum: delectatur enim ejusmodi voluntate, ut qui maximè: & si quos infixere dolores, eos dono temperat inastimabili; magno nimirum animo, & invicta inter ærumnas animi libertate. Documento horum omnium S. Tobias esto, qui quòd alacri animo cœcitatibus excepisset incommoda, quibus periclitari Deus voluit capitis sibi charissimi constantiam, non oculorum duntaxat recepit usum, sed ingētis pretij bona quædam alia, velut auctarium accepit. Ceterum devotum officij tuis Ludovicum scito, si quid ad recuperandam tibi sanitatem sacrificia mea, orationes, corporis afflictiones videbuntur valere; quibus conciliata tibi divina Majestas animi

animi invictam patientiam, & voluntatis tuæ, cum æterna mente conformandæ, tantum inspirare dignetur studium, ut nulli in terris bono non præhabeas, idem velle cum DEO, idem nolle. Ad alia me offerre supersedeo, ne actum videar agere; cum eos ad te venturos audiam, quorum præsentia inutilem, certè non necessariam arguet operam meã. Sunt ij P. F. Andreas de Ponte, & P. F. Joannes: quorum utrique, uti & Sorori multum me commendo: clientas tuas impensè rogo, quæsoque, ut filiarum in vitam tibi serviant, quando tu eas, ut mater eduxisti. Dominus te sole-

tur, & servet. Salmanticæ

24. Aprilis Anno

1590.



EPISTO.